



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Hermannii Conringii De Antiquitatibus Academicis
Dissertationes**

Conring, Hermann

Helmestadii, 1674

Svpplementvm LXXVII. Ad pag. CLVIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12929

a quo Artistarum qui appellabantur & Medicorum collegia honorum Academicorum collationem petierint, jam tum notum est ex Bullæ Gregorii IX Papæ illis verbis quæ non in Supplementis duntaxat sed in Dissertationibus sæpius protulimus in medium. Illis nempe: *De Physicis autem & Artisti Cancellarius promittet, bonâ fide examinare magistros, & non nisi dignos admittens repellat indignos.* Ubi etiam examinum magistralium deprehendimus memoriam. Procul dubio autem habuit tunc & Theologica Facultas suum Cancellarium: quia isthac tempestate cœperunt utiq; graduum Theologicorum qui vocantur discrimina, & prævia honoribus varia exercitia, ceu jam tum ex Filescaco in *Dissertationibus* non semel docuimus. Denique verò & Jurisdictionem aliquam singularem Academiæ tunc fuisse concessam ostendimus. Ex quibus omnibus manifestum sit id quod diximus, Republicam nempe Academicam quandam seculo Christiano decimo tertio Parisiis institutam esse. Eapropter arbitramur, & Bononiæ idem quid factum, ut & Patavii aliisq; in Italiæ locis, ubi tunc Scholæ Academicæ sunt natæ.

Quanquam verò respublica aliqua Academicæ jam tunc cœperit, verum est tamen id quod habet Dissertatione, in Germania nostra illam formam, quæ jurisdictionem solis tribuit Professoribus, longè esse recentiorem.

SUPPLEMENTVM LXXVII.

Ad pag. CLVIII.

QUæ narravimus de vindicata duorum Scholarium Parisiensium morte, nescio an non facta fuerint, ideo quod Scholarès illi simul fuerint clerici. Ita autem isthac jure non possent trahi ἀπλῶς ad studiosos omnes quamvis laicos. Id quod monendum duximus,

SUPPLE-